Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

decus illi contra inimicos pugnantes: et stare fecit cantores contra
altare: et in sono eorum dulces fecit modos. Et decuit in celebrationibus dominus: et ornauit tempora usque ad consummationem uite.
Ipse purgauit peccata ipsius: et exaltauit in eternum cornu ipsius
Sapientia laudabit animam suam: et in domino honorabitur: et in medio populi sui glorabitur. Et in ecclesia altissimi aperiet os suum: et in conspectu uirtutis illius glorabitur. In medio populi exaltabitur: et in plenitudine sancta admirabitur. Et in multitudine electorum habebit laudem: et inter benedictos benedicetur. Malachie profete.

Hec dicit dominus. Facies quia mihi iudicium mandatum: ut esset
pactum meum cum leui: dicit dominus exercituum. Pactum meum fuit
cum eo uite et pacis. Et dedi ei timorem: et timuit me: a facie
nominis mei pauebat. Lex ueritatis fuit in ore eius: et iniquitas non est inuenta in labiis eius. In pace et equitate ambulauit
mecum: et multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam: et legem requirent ex ore eius. quia angelus
dominus exercituum est. Ad ebreos.

Fratres. Doctrinis uariis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor: non escis. que non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare: de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium inferuntur
sanguis pro peccato in sancta pontificum: horum corpora cremantur extra
castra. Propter quod et iesus. ut sanctificaret per suum sanguinem populum: extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra: improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem:
sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis
semper deo: id est fructum labiorum confitentium nomini eius. Bene
ficentiae autem et communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur deus. Ad hebreos.

Fratres. Plures facti sunt sacerdotes. idcirco quod morte
prohibebantur permanere: iesus autem eo quod maneat in eternum.